



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

54. Cap. De extremâ Vnctione.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

in res pias, quàm testamento illas post obitum dispartiri.

Quidquid in morte relinquimus, inuiti relinquimus; velimus nolimus, relinquendum est.

CAPVT LIV.

De extremâ Vnctione.

EXtrema unctio Sacramentum est à Christo institutum, & per *S. Iacobum* Apostolum promulgatum. Dum adjunctam habet attritionem, si quis contritionem perfectam elicere, aut peccata confiteri nequiverit, condonat omnes mortiferarum noxarum culpas, quantumvis licet magnas & numerosas.

Multi sempiternis cruciantur pœnis, qui ineffabilibus jam fruerentur in cœlo gaudijs, si extremâ Vnctione præmuniti ex hac vita decessissent.

Confert igitur gratiam sanctificantem, vel eam adauget, animam mundat, *Peccatorumque reliquias abstergit*, id est, pravas inclinationes, Spiritus teporem, nec non pœnas, quæ pro noxis commissis nobis erant persolvendæ; plus minusve pro magnitudine vel exiguitate internæ nostræ dispositionis.

Non pauci extremæ-unctionis favore rectâ transeunt in cœlum, aut modico tempore in flammis piacularibus detinentur, qui alioquin diuturnis ibidem fuissent torquendi supplicijs.

Egro etiam, si quidem saluti expedit, corporis restituit valetudinem. Hæc est Theologorum sententia. Rectè tamen addit *Divus Thomas*, dummodò non sit impedimentum ex parte suscipientis, cujusmodi esse posset, quòd Sacramenti hujus receptionem ad extremum differat, quando jam viribus destitutus, & à medicis depositus est.

Nonnulli interim, si quando de extremâ unctione suscipiendâ commonentur. Ajunt, necessitatem necdum premere; mortem enim propediem subsequaturam arbitrantur. Vanus profectò hic est merus, & stulta persuasio, nec non perniciosissima *Dæmonis fallacia*.

Non pauci, postquam Sacro Oleo sunt muniti, pristinam consequuntur sanitatem, uti quotidianâ docemur experienciâ. Multò plures moriuntur, quia diutius quàm par est, eo scuto muniri recusant. Inungi nos oportet, quàmprimùm verosimile mortis periculum imminet; quod si fieret, quàm plurimi sanitati redderentur, fallacia

dæmonis evanesceret, horrorque, quo ab hoc Sacramento deterrentur, in amorem verteretur.

Citrâ necessitatem miraculum postulant, atque ad eum Deum tentant, quicumque cæleste hoc antidotum tum adhibent, cum in agone versantur, vel fractis viribus eidem sunt proximi. Hi profectò sese in discrimen adducunt evidentissimum, remedio tam salutari nunquam potiundi.

Vir probitatis famâ illustris, extremâ unctione neglectâ præ metu subsecuturæ propediè mortis (exigua fortassis, atque semi-deliberata Sacramenti hujus colludebat contemptio) post obitum jam terræ mandandus, suspirans, dixit: *Vae misero mihi, qui in centum annos ad piaculares flammæ condempnatus sum, eò quòd de Extrema unctione omnium horrorem conceperim, quâ si munitus fuisssem, jam pristinam recuperassem sanitatem: adeò enim hac mortem non accelerat, ut illam potiùs remoretur, aut longè depellat.* (a)

CAPVT LV.

Extremâ unctione nos muniri par est, dum sumus rationis compotes.

MEminisse oportet multum interesse Extremæ unctionis Sacramento nos muniri;

(a) *Nic. Dionysj. p. 2. gemina Pred. tr. 2. dest.*